

ORATIO
BALDI CATANEI
I. C. ET PRESB.
A CASTILIONE,
ARETINAE DIOECESIS.

HABITA IN FVNERE
Illustriſſ. Latini Vrsini. Romæ 1111. Non.
Decembris. M. D. LXXXVII.



R O M Æ,
Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini,
In via Pellegrina. MDLXXXVII.

ORATIO

BALDUCATAMEI

I. C. ET PRESS.

A CASTELLIONE.

ANSTINE DICOMI.

REVISTORUM ET FERRER

Journal de la Société des Sciences et des Lettres de Castellione.

Par M. J. B. L. L. L. L.



W O M E

In Typographia Typoboloniensis Castellionis.

Par M. J. B. L. L. L. L.



ILLVSTRISSIMO
LOTHARIO COMITI



Ludouicus Odasius S. D.




VI suas, aut aliorum vigilias ad lucem permittūt, ut exeant, eas alicui dicere solent, vel ut nomini eius aliquem addant splendorem, vel ut eius patrocinio tutas à detractoribus seruent. Aliud vero in causa fuit Illustriss. Lothari, cur Orationem hanc, quam Baldus Catanens, quem optimè nosti, in funere Latini Vrsini habuit, tui unius auspicijs imprimendam putauerim, non equidem, ut dignitatis aliquid ad te hinc accederet: ad te (inquam) qui non solum generis nobilitate, sed et propria virtutis fulgore, veteris pratesers Romanæ gloriæ lumen,

nec ut orationi patrocinareris, cum nimis graue sit onus profiteri se magno in conuentu hominum, maximis de rebus dicendo, omnibus satisfacturum, & omnes ferè acutius, & acrius vitia in dicente, quam virtutes inspiciant, eaq; eiusmodi sit oratio, ut clarissimorum virorum testimonio, neminem inter eruditos quicquam aduersus illam ausurum probè intelligam, verum cum hac eadem typographi mihi omnino sit committenda, idq; auctore inuito tibi ideo dicendam existimaui, ut me (cum plurimum possis) apud ipsum maxime excuses, si amicitia limites in eo transilierim, quòd id quod latere minimè decebat aperto celo exposuerim, & ut quamplurimis satisfacerem praesertim tibi, uni eidem rerū suarum nimium (ut verum fatear) auaro, semel tantum defecerim: accipe itaq; & onus, & munus, & me, quæ tua est humanitas (ut soles) ama. Vale. Romæ, Kal. Martij. M. D. LXXXVII.

ORATIO HABITA IN FVNERE ILLVSTRIS. LATINI VRSINI.



IC tandem accidit (proh dolor) vt Italica
militaris virtus altero, & eo fortasse dextro
orbaretur lumine, vt Latinus Vrsinus, &
Vrbi, & Orbi moreretur, qui & Vrbi, & Or-
bi ita vixerat, vt illi splendori quam maxi-
mo, huic vero virtutum omnium incompa-
rabili fuerit exemplo. Sed quaeso, quo consilio, vel potius
quo numine arbitramur factum, vt mihi vni, & ei quidem in
diserto, contigerit eius funus oratione prosequi, cuius vitã
perpetuo sum veneratus, eum nunc, & sermonis mei, & la-
chrymarũ mearum lugubre argumentum habere, quem to-
tius vitæ meæ cursus delicias, & gloriam sum arbitratus, eius
laudes dicendo recensere, quæne quidem cogitando possunt
attingi, eius denique facta mea qualicumque oratione exor-
nare conari, quæ vel is enumerare nequeat cuius labor, stu-
dium, industria, vitæque adeo integra fuerit Oratio? Verum
ne temere, nec inconsulto hanc mihi prouinciam demanda-
tam putate; sit enim iure optimo, vt qui alterius vitam, mo-
rès, studia est admiratus huic cū plus cæteris doleat, quo plus
cæteris se amisisse cognoscat, & eius funeris, ac penè dixerim
obitus pars aliqua fieri liceat: neque aliusquisquam maiorẽ
lachrymarum vim maiore ratione profundere debet, nisi qui
eius vitam suauissimam sibi ad extremum vsque existimauit:
vere vt in me ipso experiar extrema gaudij luctum occupa-
re. Mihi vero, & dicendi, & agendi imperito eximia, & ea
quidem innumerabilia eius facinora, ea de causa sunt expo-
nenda

nenda, ne si copiosus, & elegans quispiam dicendi artifex, hæc eadem recensere aggredieretur (quã uis factu incredibile sit) putaretis tamen aliqua ad orationis pompam præter verum addita, nõnulla verborũ illustrata luminibus, permulta artis industria fuisse perstricta. Me autem de rebus ab ipso præclare gestis verba facientem facillime existimabitis longe ab eius præstantia abfuturũ (quod omnino ijs qui ipsum laudare instituerint necesse est accidere) & meę orationis detrimentum vestra de tanto viro opinione compensabitis, & eum, cuius laudes celebrantur omnem meam dicendi vim, atque exornandi conatum longe superasse re ipsa comprobaturi estis. Quapropter attentiores vos fore ideo spero, quod Virum, de quo dicturi sumus optime nostis, & eius morte æque ac par est maximo dolore affecti estis, & me si non alia, hac saltẽ de causa quia ipsum laudare, (audacius dicã, an amantius?) sumperim, præcipuo vt conijcio, amore prosequimini. Dicam igitur, sed ita dicam (amplius enim à me præstari posse meis viribus minime confido) vt aliqua potius digito mōstrasse, quam singula ad vnguem penicillo expressisse videar: & quod tantarum rerum à tanto procere strenue gestarum vbertas verborum affluentia, longiorique spatio subministrare posset, id intra modici temporis angustias, arctioresque ingenij mei limites, quam breuissime perstringã. Duo in hac re mihi præcipue si non perficienda, at certe omnino sunt paucis pertentanda: alterum vt molliam saltem, si non sanam cõmunem hanc animi nostri ægritudinem, insanabilẽ hunc, & mei, & vestrum omnium dolorem, hos luctus fere inconsolabiles mitigem; alterum verò vt his animi perturbationibus sedatis, me ad dicendas, vos verò ad audiendas tantum Viri laudes transferam, & accommodem. Et equidem si me intuemini, & penitus spectatis Auditores pijsissimi, quis vestrum amabo, meo hoc dolore suum non consolabitur, & se talem non præstabit, qui vt meam ex parte leuet, ægritudini non medeatur suæ? ipse vero, & animi, & oculorum lacrymas absterxero, si vos me audiẽtes siccis oculis in tanto mœrore conspexero. Et certe sic faciendum mihi ipse op-

timo iure persuadeo, huius enim Viri, cuius ardentis fuimus a maiores, perquam studiosi etiam imitatores esse debemus. Hic vero quam in fortuna fortunę memor non fuit? quos nam casus, vel secūdos, vel acerbos æquo, & forti animo nō pertulit? quibus nam in rebus se simul prudentem, & prudentem, continentemque non præbuit? ipsum igitur quoad fieri potest imitemur, & quod in cęteris diuturnitas, quę maximos luctus vetustate tollit, id in nobis consilium, prudentiaque præripiat, neque temporis medicinam expectemus, quam representare ratione possumus, & debemus. Vereor enim ne si plus doleamus, quam sapientes deceat, nobis ipsis, & clarissimę Latini Vrsini memorię iniuriam inferamus: nobis quidem, quia ea afficimur egritudine, quę animum aduersante ratione contrahit, quęve nos insana mentis perturbatione agit, sollicitatque: ipsius vero memoriam quasi nube obfundimus, quia eius mortem dolendo peius cum ipso actum, quam si vixisset existimare videmur. Ijs nanque (si verum fatear) vita inter mortales est exoptanda, qui omnibus nimis noti sibi solummodo viuunt ignoti, qui nihil præter mortales se esse existimantes mortalia totis insectantur viribus, qui omnes suos conatus, spes omnes, omnia studia in hæc quę fluua, caduca, nulliusque momenti sunt adhibent, figunt, intendunt. Digni enim sunt, vt quod sibi tanquam bonum cęci proposuerunt, id diuersis turbulentissimis acti procellis tanquam præmium suorum laborū reportent: vel etiam diu viuant, vt tandem cognita beatorum sapientia, suã corrigant insipientiam, & optimorum exemplo aliquando resipiscant. At vero qui suę mentis compotes nobis quidem mortales. Deo tamen se nouerint diu victuros, quique virtutibus mancipati à vitiorum illecebris longe, multumque distant, & ita viuunt, vt eo tempore se vixisse non putent, quo aliquid præclari, diuini aliquid non gesserint, & ita se ipsos comparant in quos cęteri immotis intueantur oculis, his certe mortem præcari debemus non festinam, sed maturam, vt quo tenderint citius perueniant, & virtutum, ac laborum præmium quod meriti sunt, consequantur, atque Deo, quem

supra quam credi potest, & amauerunt, & sunt imitati, vniā-
tur tandem eoque fruuntur. Vnde veluti vitæ diuturnitas
ad correctionem illis à Deo præcanda est, ita etiam his post-
quã re, & verbis quid agendū sit homines docuerunt mors
est efflagitanda, ne longa improborum consuetudine vitij
coinquentur, & diutius, quam par est, inter tot vitæ huius
discrimina nullum adepti præmium assiduo, inanique labore
conflictentur. Nostrum igitur nulli prorsus laudi vertendū
credidero, si immoderatos luctus effuderit, si plus nimio do-
luerit, vita, & laboribus functum Latinum Vrsinum. Vrsi-
num inquam nō tam qui illum patria Roma heroum alum-
na clarum, & tanta virtutum omnium seminatrice, & altrice
familia ortum, insignem prædicem, quam vt patriam, & fam-
iliam Illustri huiusmodi Viro decoratas demōstrem: velu-
ti enim ille hæc ambas est emulatus, ita etiam illum ambæ
nunc emulis suspirant oculis. Et vero illa hæc est Roma, cu-
ius imperium cælum ipsum vix finiuit cuius nomen, & glo-
riam nulla vnquam claudet ætas. Et vero illa hæc est fami-
lia, quæ ante mille ducentos annos suos martires Christo pe-
perit, testes Volusiani Turonenses Episcopi, quæ Summis
Pontificibus Romanam decorauit Ecclesiam, testes Nico-
lai à morum suauitate, & elegãtia compositi nuncupati, quæ
Christianam rem sacris Cardinibus muniuit, purpura exor-
nauit, testis sanctorum Patrum sanctissimus parens Vatica-
nus, quæ bellum ipsum ducibus pene innumeris, & Impe-
ratoribus, iisdemque fortissimis cohonestauit, testes omnes
fere totius Orbis Prouinciæ. Testis tu quoque Camille Pa-
ter belli, & lumen, & fulmen, pacis, & amator, & defensor
acerrimus, qui adeo virtutem medullitus dilexisti, vt illa præ-
ter te vnum veneraretur neminem, te præter illam humana
prorsus delectarent nulla: cuius modo, vt deceret, laudandi
nec tempus datur, nec locus: quod autem tempus, & locus
meæ orationi de tuis laudibus detrahunt, tuorum meritorū
memoria, quæ recens adhuc inter homines viuit adiunget
cumulabitque. Quãuis vero plerisque omnes virtute an-
tecellueris, à Latino tamen filio (pace tua dixerim) primas

ferre prohibitus es: quo tu ita es lætatus veluti alterum te, & maiorem ad viuum intuitus, quem Orbis ita est admiratus veluti exactissimum virtutum omnium simulachrum, cui ego tantum defero, vt eundem existimem, & immensam laudationis materiam, & solum eximio suo ingenio parem huic dicendi muneri. Hic eo Patre, quem probè meministis progenitus, Matrem etiam non nisi per illustrem habuit, si quid tamen ortui adesse nequijt id toto vitæ cursu cumulatissimè compensatum perspeximus, & infantulus adhuc ab optimis parentibus virtutum fascijs inuoluitur, à probitate morum lactatur, comites habet Musas, gratiæ inseruiunt, christiana tamen pietas, & religio manu ducunt, & regunt. Adultus puer peritissimis traditur præceptoribus, doctrina, & bonis artibus imbuitur: latinam sic callet linguam, vt hæc ab ipso nomen sumpsisse videretur, Ex Græcis dicendi copiam, & leporem haurit: è sacris (ijs nempè, quas Christi Ecclesia veneratur) Hebræorum litteris Religionem petit: Mathematicis tantum insudat, vt ipsimet scientiæ, & organa addat, & radios: suorum studiorum comitem morum magistram philosophiã adhibet: musicen, poeticen, & bene dicendi artẽ, quasi cæterorum studiorum leuamina ad se inuitat: verum in nullo tantum laborat, quantum in sanctorum virorum scriptis peruolutandis, vt vna, & liberales artes & Dei cultum doceatur, & per primas disciplinas ad futuram cõtendat perfectionem: ac tandem (vt vnico verbo complectar) accuratioris vitæ notis, ante accuratioris vitæ tempus insignitur, & decoratur. Quia vero non sibi, sed ceteris: non Patriæ, sed Orbi: non otio, sed negotio: non paci solum, sed etiam bello se natum senserat, non tantum bonis hisce litteris, quas diximus adolescens, sed ijs etiam informatur artibus, quæ ad militiam hominem parant, quæ militem domi fingunt, quæ corpus ad labores exantlandos exercent. Disciplinis igitur non tam incundissimis, quam præclarissimis delectatus, & optimorum consuetudini se adiungens ad studiorum laborem corporis exercitia adhibere solitus erat: modo canibus cursu, venabulo feras insectabatur, modo ferocissimos domabat

equos, modo etiam plurima armorum genera pertractare edoctus in singulis quibusque statutis exercebatur horis. Didicerat noctes integras quasi ad excubias vigilare somni patiens, & inædiæ: nouerat munire vrbes, vallare castra, instruere acies, & anteaquam in militiam proficisceretur miles esse peritissimus. Nec mirum, togam enim cum armis, scientias cum re militari coniunxerat: quod quidem quanto inter nostros milites rarius, tanto præclarius. Et sanè qui bellica virtute clari litterarum splendore carent, nihil à lucis differre videntur, qui magnæ calamitati maiorem adiungunt deformitatem, siue alios intueantur, siue ab alijs ipsi spectentur. Latinus vero quasi ambidexter in vtrisque se diu multumque exercens ad vtrorumvis palmam aperto (vt dicitur) cursu aspirabat, nihil vnquam magnificiens, nisi quod ad recte, honesteque viuendum conduceret, & sui studiosos meliores redderet. Eam vero spem quam puer de se ipse concitauerat impleuit adolescens: nam sexdecim vix dum natus annos militat sub patre pontificij exercitus Imperatore, Parmam fidei suæ commissam tuente, & anteaquam miles esset exercitui præficitur, fit dux, eiusque auspicijs septingenti traduntur milites. Parmæ rebus in melius cõmutatis biennio post Julius eius nominis Tertius Pontifex Maximus, vt Bononiam Mirandulano bello forte tumultuantem sub sua ditione retineret, atque eidem vrbi fræna adhiberentur, & præsidia: illuc Duce Latino duo millia submittit militum, qui non multo post Mirandulam contendunt, reliquo pontificio exercitui se adiungunt, & sui Ducis in ipso militiae limine militis consummati singula admirantur opera. Iterum Patre Imperatore militum Præfectus sub eodem Pontifice, ne Imperialis exercitus aduentu ad bellum Senense Italiæ res fluctuarent, vel Roma externorum obsidione premeretur, & patriam seruat, & eo metu omnem prouinciam liberat. Paulo Quarto Dei Ecclesiam gubernante, non mediocri bello in Italia effervescente, vna cum quamplurimis alijs summis viris à Pontifice ad exercitus gubernacula lectissimus adolescens Latinus conuocatur. Ne quæso Auditores

me festinantem culpate, eius enim laudes dicendo percurro: cuius heroica facta ad summum glorię culmen pertingere vdebantur. In primo autem suę virilitatis vestibulo, dū Maximilianus huius nominis secundus Princeps Optimus Imperij moderaretur habenas, Solimano Turcarum tyranno innumeris equitum, peditumque copijs grauissimo bello Pannoniam infestante, æque prudens, ac fortis Vrsinus suis stipatus militibus, proprijs, non alienis stipendijs eo contendit, perhonorifice à Maximiliano accipitur, fit consiliorū particeps, muniendi loca ad hostium incurtus propulsandos omnis in eum cura defertur: nec solum in Pannonia, verum in Boemia arces aggeribus, fossa, muris, turribus vallatas miro artificio quam citissime ponit, talem se in singulis rebus bellicis præbet, qualem nemo vnquam: ita vt Maximiliani amorem in se excitaret quam maximum, & sicuti omnium corda in sui mouebat inuidiam, ita omnibus sui emulandi præcludebat aditum. In Italiam tandem honoribus, & sui nominis gloria clarus reuertitur, & bellis silentibus, vt litterarum orio fruere, in suum se confert Nomentum. Quod veluti Numam ex Sabinis, ita & magis lætatur ex Romanis se habuisse Latinum tanto meliorem Pompilio, quanto puriori quam Aegerię fonte ablutum: Nec equidem intra suos parietes diu latuit (si tamen is latere poterat, cuius lumina vel exteris nationes inradiabant) nam Pius Quintus idem summus, & sanctissimus Pontifex ad detruncanda Hydræ Vgonoticæ renascentia capita, quæ Franciam fere omnē suo inficiebant veneno, exercitum deligit, exercitus magistrum Latinum creat, cuius suprema in ea re authoritas nō ab exercitus Duce, sed ab ipso Pontifice nullo intermedio pendebat: ad bellum itur, pontificius regio additur exercitui, ponuntur castra, & Colignium immanem illam belluam, teterimum illum Christiani nominis hostem, totumque regnū ferro, incendijs, rapinis deuastantem vocant ad arma. Nūc equidem sentio Auditores ad Latini facta enarranda Latini eloquentia opus esse, verū cogitatione perficite, vt ne quid meę orationis inopia tãti viri memorię detrahatur. Pugna-

tum igitur est primum cum sequissimo perduele intra fortissima moenia concluso. Primus Latinus aggreditur, & in Marte Martem fortitudine superat. Nostris loci asperitate, victoria eodie concessa non est. Latinus tamen victor ad suos redire vult, & vnum ex suis ducibus, eumque ob multas res gestas spectatissimum, quem ceteri omnes sub hostium moenibus male faucium reliquerant, vir imperterritus inter medias fulminum grandines, inter innumeros tormentorum ictus vulneratum recipit, ad suos vi sua reducit, seque non minus pium, quam fortem apertissime ostendit. Iterum ad arma aperto Marte vocatus est hostis, venit impius maximis instructus copiis, exercitus extra castra ducuntur, Latinus equo insidens suas instruit acies, orationem quam accommodatissimam habet ad milites, deinde pedes sumpta sarissa ad effundendam pro Christo animam hilariter currit, se in prima exercitus fronte collocat, conferuntur signa, & prius in hostes irruit, sit pugnando fortior, & quod verbis milites docuerat, id re ipsa sui exemplo comprobatur, quam plurimos ex hostibus vulnerat, innumeros penè fugat, permultos trucidat, ex suis vero hos ad pugnam hortatur, illos vi redimit (diceret hoc si viueret Horatius Vrsinus paulo ante è medijs hostibus acerrime repugnantibus incolumis magna virtute receptus) alios etiam vindicat, ceteros seruat: hostilis in fugam vertitur exercitus; cæsis hostium viginti milibus victoria proclamatur, & Latinus ante omnes tantis à Rege, & toto exercitu decoratur honoribus, quantos vos mente, ipse vero oratione assequi minime possum. Hæc igitur silentio veneranda potius, quam verbis inuoluenda fatius duxerim, ne honor ipse afficiatur iniuria, & lingua quam mens plus posse imprudens videatur. Iam ergo ad ea perstringenda quæ restant festino. Sedatis Galliæ procellis, Venetorum respublica florentissima Latinum Bergomi præsidij præficit, nec diu virum eo loci morata Cretæ Metropolitim eius Regni arcem munitissimam eius committit fidei. Navigat Latinus, quem Græcia iam diu expectauerat, Cretam metu liberat, suoque ingenio, machinis, operibus

in tuto

in tuto omnino reponit. Annū ibi quartum vix dum cōple
uerat, cum Gregorius XIII. Pont. Max. ad se conlachrymā
te Græcia Latinum vocat, quem non solū suis omnibus pe-
ditum equitumq; copijs præfectum designat, verum etiā Ve-
netias mittit (nouerat enim quam charus illi Reipublicæ ef-
set) vt fœdus in Turcas cum venetis feriat, & rem equidem
confecisset, ni Deus ob multa in eū peccata in nostri suppli-
cium nostrum omniū corda obcæcasset. Creta suum iterū
poscebat Latinū, octo .n. annis iucundissimo eius aspectu
fuerat orbata: Pontifex quamuis ægreferens, Græcia tamen
efflagitante permittit, secundum igitur in Cretā nauigat La-
tinus non ad vnius Urbis, sed ad totius regni præsidium: fit eo-
rum locorum omnium pedestris militiæ, & arcium Guber-
nator generalis (id namque nominis eiusmodi muneri est)
vix ad Cretam appulit, cum insulam vniuersam diuersis in
locis nouo, & singulari artificio munire cœpit, eaq; celerita-
te rem omnem confecit, vt vix inchoasse putaretur, quæ ve-
ro loca sui natura munita erant, arte reddidit munitiora,
ita vt insula, quæ antea quoscunq; fere inimicorum incurfus
formidare solebat, ipsa tunc inimicis Latino authore timo-
rem incutere cœperit. Interim in Gregorij XIII. præmortui
locum subrogatur Sixtus V. Pont. Opt. idem, & gloriosissi-
mus: quod vbi ad Latinum perlatum est (fuit aut̄ proximæ
superiori anno) statim ad Urbem accurrit vt eius viri sanctis-
simos deoscularetur pedes, cuius beneuolētia deuinctus, ad
cuius consilia adhibitus, cuius colloquij particeps antea sem-
per fuerat. Pontificem adorat sui aduentus lætitiā gestientē,
dulcissimā vxorem, carissimos liberos, familiā, patriam, ami-
cos, patronos denique omnes salutat: & dum per quam iucū-
dissimus senex suis viuebat (miserum) à morte eripitur.
A morte inquam non: sed à Deo, nec eripitur, imo verò vo-
catus cucurrit. Oh rē omni totius posteritatis memoria per-
sanctē conseruandam. Vixisti Latine, & ita vixisti, vt ea quæ
à natura acceperas relinquere te morientem non tederet, ni-
hil corporis valetudo, nihil robur, nihil formā in qua præbi-
tas cum doctrina, prudentia cum fortitudine, cum his omni-
bus

bus relucebat maiestas, nihil ætas immatura adhuc te inter nos detinere potuerunt. Vixisti Latine, & ita vixisti, vt te mortalia hæc nullo modo potuerint inretire: Non Patria ceteris omnibus sine exemplo clarior, non familia quamplurimis alijs illustrior, non honores, non dignitates, non tui nominis gloria, non diuitiæ, non dominia, non vxor animo coniunctissima, non denique liberi omni virtutum genere abs te cumulate præditi. Vixisti Latine, & ita vixisti; vt omnium deiecti vultus, ac moestitia præculsi te moriente terstantur. Vixisti Latine, & ita vixisti, vt tibi vni palmæ, coronæ, trophæa, ouationes, triumphi, honores omnes deberentur, qui vel armis deferuntur, vel litteris: tu n. vrbes obsidione liberaſti, tu muros primus conscendiſti, tu ciues, tu castra, tu Regna hostibus cæſis ſeruasti, teſtis Italia, teſtis Pannonia, teſtis Gallia, teſtis Græcia, teſtis ipſemet Orbis: tu bonarum artium amator tuas vere dicam mathematicas tuis ſcriptis locupletaſti: in multorum historias, præcipue Cæſaris, lucubrations edidiſti, oraſti ſepiſſime, ſacros hymnos religioſe decantaſti, perfeciſti tandem, vt quod enſis militiæ domi ſtilus adipiſceretur. Et tamen non aurum, non gramen, non quercus, non olea, non myrtus, non laurus geminata te inter mortales diutius remorari potuerunt. Et (verum fatebor) mortalia mortalium ſunt, quæ autem ſupra noſtras vires ſiunt, Deo accepta ferre debemus. Multas de hoſtibus viſtorias reportauit Latinus, Comites habuit, virtutem militum, locorum opportunitatem, ſociorum auxilia, fortunam denique ipſam. Quamplurima Regna arcibus munuit Latinus, artifices adiumento fuerunt. Eximiè permulta cõpoſuit Latinus doctiſſimorum virorum ſcripta duces adhibuit. His igitur quæ humana ſunt omnis humanus delatus eſt honor. Verum multo præclariora geſſit Latinus, & diuinis fere omnibus imbutus ſolus geſſit, nam bellum inſteſtinum, quod nobiſcũ ipſi gerimus virtute ſua, (Deo quidem Duce) ſuperauit, infræne hoc noſtrorum ſenſuum moſtrum omnino perdomuit, rediuium hunc noſtri corporis Antæum animi viribus à terra ſublato enecauit, leiſum tamdem vit, quibus

cit, quibus in rebus tanto Illustrior, quanto externo omnī mortalium auxilio destitutor fuit, à quibus rebus tantum hu- mani distant honores, quantum hęc diuinis proximiores ap- parent. Quamobrem Dei Optimi Maximi solum est huius- modi rebus deferre equales triumphos: voluit itaque (quia meritus est) & Latinum suum de suis victorijs triumphasse. Cęlesti igitur instructo Capitolio, missis Angelorum cohor- tibus, & beatorum Senatu, ipsum ad triumphum vocat, & quia Miles eo die vocat, quo sancta Dei Ecclesia inter sacri- ficandum Euangelij verbis tuba canit ad iudicium, quia ve- ro suimet triumphator, & lauro dignus, non alibi sepulchrū parat nisi eo in templo (quod alterius Latini Vrsini est mo- numentum) in quo sacra sub lauro Iesus adoratur. Reddidit ouantē animam Christo Latinus, excipitur cęlesti psalenti- um militia, ad illum ducitur ad quem semper suspirauerat, eo fruitur, quem amauerat, illum nunc intuetur quo cum ad diuturnas æternitates se victurum agnouerat. Viuite ergo felices animæ: viuite duo optimi Patris clarissima lumina: Te Fabi Vrsine: Te Virgini frater appello: viuite inquam fe- lices, memores vos eius Parentis filios, qui bene, beate que viuendi omnibus fuit exemplo, cui vos similes futuros nul- li dubium existimo. Adepti enim estis eius hęreditatē om- nibus bonis refertissimā, nempe studia, virtutes, bonos mo- res, dignitatem, gloriam, honores, amicitias, & quod inter homines plurimi est faciendum principum virorum patro- cinia, quod vobis tandiu patrocinatoros sperate, quam diu parentis vestri memoria vixerit, quam eo diutius victurā sci- tote, quo diuturnius vestris virtutibus enutrita paternis vos instituisse vestigijs apertissime declarabit. Dixi.

F I N I S.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mostly obscured by the low contrast of the scan.

